Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 677
Quelle:
Copyright:

&c. usque ad verba: *Quod medium dicitur, commune eſt.* &c. Poſt *fol.* 101. avulſa eſt pars Serm. XIX. in *Pſ.* CXVIII. ab his verbis: *iniquitatis alienae. denique ſequitur et dicit* — usque ad verba Serm. XXIX. *Quod eſt chriſtus ihesus. Vnde hec ergo iſte* &c. Poſt *fol.* 111. deficit *Pſ.* CXXII. a verbis: *herendo illi aſcendere* — ad verba: *proficiſci vis longius. Da mihi ſed da mihi* &c. quae ſunt poſt medium *Pſ.* CXXIII. Item poſt *fol.* 141. *Pſ.* CXXXVI. a verbis: *et fit minor tempore* — ad verba *Pſ.* CXXXVIII. *quia filius unicus dei dicit. Domine probaſti me* &c. Item poſt *fol.* 145. *Pſ.* CXXXIX. a verbis: *inter quos malos gemit* — ad verba *Pſ.* CXLII. *Saulus in terra Chriſtum in cælo ſedentem* &c. Item poſt *fol.* 157. initium *Pſ.* CXLVI. usque ad verba: *mentis meę et captivum me ducentem* &c. Demum in verbis *Pſ.* CXLVII. *niſi ſpectacula. ne putent gentes ſe habere* — deficit *Codex*, quem ita miſere mulctatum ſane dolendum eſt. Exegimus eum ad Editionem Maur. ut jam ſupra dictum eſt.

CCCXXV.

R. 3084 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 229. f. maj. paene quadro, per duas columnas luculente pulcreque perſcriptus, rubricis diſtinctus, et cum tot aliis claris Codicibus olim κτημα Coenobii *Montis Pomerii* Ord. *Ciſt.* in *Auſtria* ſuper. complectitur D. *Auguſtini Enarrationes in I. Quinquagenam Pſalmorum* ita comparatas. *In nomine domini noſtri ihesu chriſti incipit prologus Aurelii Auguſtini de laude pſalmorum.* Initium: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata utilis eſt ad docendum* &c. *Auguſtino* in Editis olim tributum, ſed non in omnibus *Mſſ.* repertum teſtantur *Mauriani;* nec mirum, cum ſit *Baſilii* Prooemium in Pſalmos Paraphraſte *Rufino.* Sequitur alia Rubrica: *De Uirtutibus pſalmorum.* Nihil de hac *Mauriani.* Incipit: *Prophetie ſpiritus non ſemper prophetarum mentibus preſto eſt, quatinus cum hunc non habent, ſe hunc agnoſcant ex dono habere, cum habent.* Id quod illuſtratur *Eliſaei* exemplo Pſalten adduci jubentis. Tum vero oſtenditur multiplex e frequentatione Pſalmorum utilitas, deſcendendo etiam ad particularia, Pſalmosque nominatim ſuggerendo, quos pro vario animi ſtatu recitare ſit opportunum. Et extat Libellus Sec. XV. *ſ. l.* et *a.* 4. impreſſus titulo *Auguſtini de Virtute Pſalmorum,* qui partem *Rubricae* noſtrae delibat. Illam excipit in Codice tertia: *De laude pſalmorum*, pariter *Maurianis* intacta, et incipiens: *Canticum pſalmorum corpus ſanctificat, animas decorat, inuitat angelos in adiutorium* &c. atque hujus magnam partem *Remigius Autiſſiod.* ſuae *Enarrationi in Pſalmos* titulo *Dictorum S. Auguſtini* praemiſit, ut videre eſt *Biblioth. PP. Lugd.* T. XVI. *col.* 1044. Ut meam de duabus his *Rubricis* mentem aperiam, ipſum vocabulum *Dictorum*, quo *Remigius* utitur, innuit, eas *Auguſtini*